aeternae uitae praemia mercaturi, pro diuini confessione succumbere. quam
perditionis urbanae cerimoniis deseruire. Tunc imminente iam glorioso
ris certaminis uictoria ut triumpho. iussit eos cornelius gladii obtrun
catione percelli. Qui a ministris iuxta praecepta extra ciuitatem educ
ti. et tam circumfusi populorum multitudine. praedicto in loco oratio
nis quem sibi condiderant et persecutorum fuerat infestatione cremu
tus. consummati martyrii praemium consecuti. Qui nocturno tempore
christianorum fide ut studio. dignas celebritate sepulti. Ubi diuinae
remunerationis testimonio assidue existere miracula comprobantur.
quique fletuum nostrorum exoratione obtinentes. dignantur superno ammi
niculante suffragio urbem propriam protegere ac indignos misericordiae auxi
lio roborare. carnis [illegible] quoque multiplicium delictorum uincula ad
stricta laxare. Annuente domino nostro ihesu christo. cui est honor potestas
et uirtus cum patre et spiritu sancto in trinitate perfecta in saecula saeculorum amen.

INCIPIT VITA BEATI CYPRIANI CARTAGINENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS GLORIOSI XIIII

Cyprianus religiosus antistes
ac testis dei gloriosus. et si multa conscripsit per quae memoria digni
nominis superuiuat. et si eloquentiae eius ac dei gratiae larga fecun
ditas ita se copia et ubertate sermonis extendit. ut usque in finem
mundi fortasse non taceat. tamen quia operibus eius ac meritis et iam
haec praerogatiua debentur. placuit summatim pauca conscribere.
Non quo aliquem ut gentilium lateat tanti uiri uita. sed ut ad pos
teros quoque nostros incomparabile et grande documentum in immor
tale memoriam porrigatur. ut ad exemplum sui in litteris dirigatur.
Certe durum erat. ut cum maiores nostri plebeis et catecuminis mar
tyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius ueneratio
ne debuerint. ut de passionibus eorum multa aut ut prope dixerim
pene cuncta conscripserint. utique ut ad nostram quoque notitiam
qui nondum nati fuimus peruenirent. cypriani tanti sacerdotis et
tanti martyris passio praeteriretur. qui et sine martyrio habuit